

deberi possit, e. g. si dominus de jure pascendi in suo domini fundo investiat vasallum possessorem alterius fundi. *L. 12. ff. de Pignor. & hypothec. Finckelt. Disp. III. contrav. fin.* Quo casu particula liberæ dispositionis circa rem suam, quæ servitute constituta alioquin amittitur, cujusque abitu dominium imminuitur plenum, in duas partes dividitur, & una penes concedentem manet; altera vero in concessionarium transit sub specie feudi. Officia etiam in feudum dari posse dictum. *C. III. §. 31.*

DE
REGALIBUS.

CAPUT VIII.

I.

Non ambigendum est, *Regalia*, vel *Regalias* a Rege derivari. *Ziegl. de J. M. lib. 1. c. 3. th. 9. Sixt. de Regal. lib. 1. c. 1. n. 1.* *Regium vox unde?* Eo tamen sensu, quo hodie *Regaliæ*, vel *Regalia* pro Juribus accipiuntur Majestatis, apud veteres, & puriores linguæ latinæ autores voces hæc haud reperiuntur. Circa ætatem *Heinrici V. & Friderici Barbarossæ* harum vocum usus apud Historicos, & in Documentis publicis frequens fuit; ita tamen, ut reditus, & fisci jura potissimum significaverint. Notabiles hac de re loci sunt in *Guntberi Ligurino. lib. 8. & apud Radevicum de rebus gestis Friderici. Lib. 2. c. 5. Sigonium de Regno Italiae lib. 12. p. mibi 302. Conf. Eyben. Elect. Feud. c. 10. §. 8.*

II. *Regalia* itaque, prout hodie plerumque vox supponitur, sunt *jura, ei, qui Superiorem non recognoscit, competentia, ad salutem & decus Reipublicæ tuendum.* *Quid sint?* Collectio illorum vocatur Majestas, quæ *suprema est, & libera regendi civilem societatem potestas ad finem propositum.* Atque ideo partes illæ totius potestativi Jura Majestatis recte dicuntur. Utrum hæc Majestas subjective dividi, hoc est, an partes, seu jura illa *An Majestas dividi possit?*